



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KERICHOËNSIS**\* IN KENIA NOVA CONDITUR  
DIOECESIS KERICHOËNSIS Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in Kenia eiusque regimini facilius  
et efficacius consulendum nuper esset petatum ut, divisa Nakurensi dioecesi, nova ibidem circumscriptio ecclesiastica  
constitueretur, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium,  
Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis habituque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Clementis  
Faccani, Archiepiscopi titulo Serrensis in Proconsulari et in eadem Natione Pronuntii Apostolici, admotam postulationem  
censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae  
Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra potestate haec decernimus. A Nakurensi dioecesi  
separamus territorium regionis civilis, quae patrio sermone nuncupatur « Kericho »; ex eoque novam constituimus  
dioecesim *Kerichoënsis*, quam metropolitanae Ecclesiae Nairobiensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni  
Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac illi memoratae civilis regionis.  
Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe « Kericho » atque templum Sacri Cordis Iesu ibidem exstans ad  
dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus  
perducat ad exitum Venerabilis Frater Clemens Faccani, quem diximus, quique, re acta, curabit documenta exaranda  
sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Apostolicam  
Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae,  
apud Sanctum Petrum, die sexto mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto,  
Pontificatus Nostri duodevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	IOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXVIII (1996), n. 4, pp. 346-347 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana